



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Qvemadmodvm Secvndo Nomina Christianorvm, Qvi cvm Patribvs
Franciscanis agebant, descripta sint. Capvt VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

Substitutus Fazamburi mandata de P. Franciscanis est ex-
tus: simulque sub pœna vitę cauit, ne vllus nauta eos reducere
terram. Præterea Viceprovincialis curauit agi cum Domini
rimensi & Omurano, vt viderent, qua prouisione opus esset
tempore circa nostros in eorum ditione agentes. Respondens
dicti Domini sibi videri, tempori non nihil seruendum; expectans
vt pietas Christiana intra priuatos parietes non nihil delectetur
modò ne omittantur, quæ necessaria sunt ad salutem Chris-
tiorum. Nec voluit Dominus Arimenfis (in cuius statu extat
seminarium) consentire in mutationem a P. Viceprovinciali de-
gnatam, nempe, vt domus illa centum coque amplius alumnos
transferretur Amaculam, locum longius remotum, & Neuma-
tus (qui triginta habens tyrones intra sex menses erat dissolu-
tus) Amacula transferretur ad ipsius statum. Neque ab hoc pro-
posito, in tam præsentis periculo, potuit dielli. Tantopere autem
semper complexus est illud seminarium, vt abiens Coraui, per-
truo suo, qui gubernationem status susceperat, con-mendaret,
si nouum aliquod edictum a Taicosama veniret, præ omnibus
seminarij incolumitatem tueretur.

Augustinus agens in regno Coraiano, simulatque rumor
hac persecutione ibi increbuit, certum hominem ad Vicepro-
uincialem amandauit, qui ei operam omnem & studium suum offer-
ret, & certiora ab eo cognosceret. Idem fecere Domini Naga-
cho finitimi, tam gentiles quam Christiani, mittentes ad
quosdam qui P. Viceprovincialem solarentur, eisque omnia
officia & auxilia offerrent.

QVEM AD MODVM SECVNDQ NOMINA
CHRISTIANORVM, QUI CVM PATRIBVS
Franciscanis agebant, descripta sunt.

CAPVT VI.

GIBONOSCIVS perspecta voluntate Regia, Substituto
Meaco euocauit, ei que præcepit, vt in schedulam vnã re-
ferret omnium Christianorum nomina, qui cum Patribus
D. Francisci familiariter agerent. Is Meacum regressus, nomina
eorum à Patribus exegit, & in scriptum relata sunt septusaginta
capita supra centum, e quibus non erant, quos Gibonoscius ve-
lebat. Et quia Substituto illi videbatur numerus magnus, cursum
curauit exigi tantum nomina eorum, qui cum ipsis Patribus age-
rent: vnde ad Gibonoscium non est allatus catalogus nisi capiti-
qu-

quadraginta septem. Qui numerus cum iterum ei videretur equo maior, voluit ab iis ipsis, quorum nomina conscripta erant, inquiri: verumne esset, ipsos Patribus Franciscanis esse familiares, & si negarent, deleri eorum nomen, si fateretur, manu sua nomen proprium exararent.

Minister quidam, cum, nescio quo casu, vtramque schedulam à Substituto nactus esset, cœpit nomine Gibonosci promiscuè à singulis petere, num essent Christiani: Christiani, existimantes se quæri ad martyrium, intrepidè omnes responderunt, se esse, subscribendo more in Iaponia vsitato. Quæ non obscura fuit fidei eorum probatio: credebant enim, ne vnum quidem ex iis, qui subscripsissent, necem euasurum. Deniq; Substitutus schedis receptis, ex omnibus selegit tantum duodecim.

Nihil aliud in hoc negotio vsque ad trigesimum Decembris actum est. Cuius rei causa alia nulla fuit, quàm quòd Gibonoscius aliique in aula confidebant se Regi persuasuros, vt Franciscani Patres nece exempti tantum exilio multarentur. Verum Iacuinus medicus id minimè ferens, die iam nominata aditum quæsivit ad Regem, iam profectionem Ozacam parantem, eique persuasit rationibus multis, nõ Philippinorum modò Patrum, sed eorũ quoque, qui illis familiariter adhæsissent, castigationem non esse longius prorogandam. Quare Rex iterum Gibonoscio commisit executione lætæ semel sententiæ. Qui suo Substituto præscripsit, vt quinque Patres Franciscanos cum 12 discipulis domi suæ in vincula conjiceret, quo aliis Ozaca venientibus edicto regio fieret satis. Abiere ministri ad comprehendendos iam dictos in domum Franciscanorum Patrum, & dum ordine singulos è duodecim annotationis euocant, abest fortè vnus, nomine Matthias, qui agebat dictorum Patrum obsonatorem. Cum non appareret, cœperunt ministri vndique clamare: Vbi est Matthias? Prodeat Matthias. Proximus ostio Patrum habitabat quidam Christianus eodem nomine: qui audito nomine Matthiæ, extemplo se obtulit ministris, dicens: Ecce tibi Matthiam. Etsi non sim, quem quæritis, sum nihilo minus Christianus, & horum Patrum amicus. Hoc satis est, responderunt ministri, nec enim opus est perdere oleum & operam in quærendo altero. Et sic eum socium abduxerunt. De quo cum sancta quadam inuidia videretur dici posse: *Cecidit fors super Matthiam, & enumeratus est cum vndecim.* atque ille cum magna gratiarum actione tam felicem fortunam & conditionem suscepit: Alter vero Matthias amplius quæsitus non est.

Ultimo Decemb. Rex, vt Ozacam peruehit, iussit Patrem Franciscanum

ciscanum

ciscanū eiusque Socios, ibi reventos, vt diximus, amandari Meacum. Nondum Ozacæ submoti erant ab ædibus nostris excubiis: nam cū Gubernator à Rege acriter reprehensus esset, ob inuicem libertatem Christianis concessam, non ausus fuerat sine eius licentia submouere, etiam si declarasset, non esse sibi propostum quidquam moliri in nostros. Qua de causâ Gubernator parauit Meacum quoque mittendum fratrem Paulum Michi, cum Iacob & Ioanne, qui erant duo illi, quos supra diximus fuisse album relatos. Non constat, an gubernator id fecerit, ne videtur à nobis pecunia corruptus, an certè impulsu magni amici Fascigauæ, qui volebat nostros eandem subire aleam.

Primo igitur die Ianuarij Anni 1597 omnes iam nominati in viam dedere versus Meacum: quo cū peruenissent, P. Organinus certos homines submisit ad Gibonoscium, si qua via nostris liberari possent: existimabat enim hanc curâ se illis debere, quod per errorem Ozacensis gubernatoris contra voluntatem Regis vincula coniecti essent. Respondit Gibonoscius, dolere se de hoc felici hoc casu, sed non videre medelam: nam inquit, si alioquin Regem, existimantem nullum de Societate fuisse Ozacæ, forecū inflammatus iterum omnes iubebit agi in crucē. Quidam nobis nominus Christiani, conscii contra voluntatem regiam tres liberos nostros rapi cum aliis ad necem, ministrum quendam Ozacensis gubernatoris conati sunt suapte sponte magna auri argentique largitione in suam sententiam trahere. Sed Dominus Deus, qui decreuerat hoc beneficium prestare iis, quos pro sua occulta sapientia elegerat, non passus est, eorum diligentiam suam consequi effectum. Atque ita dictus minister, contra similibus Officialium morem, qui conspectu donorum facile molliuntur, semper se declarauit inexorabilem, & filice duriolem. P. Organinus, vbi id cognouit, dictos Christianos reprehendit, ne assuescerent ad hanc rationem agendi, licet ex alia parte admiratus sit eorum studium & pietatem. Paulus quoque, hæc omnia intelligens, magnas Deo gratias egit, hunc conatum nostrorum exitum fuisse, coque confidentius cœpit se comparare ad martyrium. Et post dies aliquos iisdem Christianis scripsit, dolere se ob labores ab eis ad se liberandum impensos, idque in hæc verba: Hicne amor est, quo nos complectimini? fieri ne potest, vos me hoc immenso Dei fauore, de quo exultare & collaudare infinitam Dei bonitatem debetis, velle priuare?